



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt VI. Ex Concilio (a) Tribûrien.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](#)

CAPVT VI.

Ex Concilio (a) Triburien.

Clericus, si tonsurā dimissā uxorem acceperit, qui quidem sit sine (b) gradu, nec
(c) monasterio à parentibus traditus, uxorem permittatur habere, & iterum (d)
tondeatur, nec in vita sua uxorem dimittere audeat.

NOTÆ.

1. (a) *Triburien.*] Ex eodem Concilio citantur
haec verba in prima collectione, sub hoc tu.
cap. 6. & sub tu. de Apostatis, cap. 1. & à Bur-
chardio lib. 8. Decreti, cap. 97. Carnotensi p. 7.
cap. 11. & ita apud eos habetur: *Clericus, si tonsurā dimissā uxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec ad monasterium aliquod à parentibus tra-
ditus, si uxorem habere permittitur, iterum tonderi
coagatur, nec in vita suā tonsuram negligere audeat.*
Quem autem progenitores ad monasterium tradide-
runt, & in Ecclesia cōpetere cantare, & legere, nec
monasterium deferere poterit; sed si discesserit, re-
ducatur; si tonsuram dimiserit, rursum tondeatur;
uxorem si usurparerit, dimittere compellatur. Quæ
ultimæ verba, quæ hīc omituntur, ex eodem
Concilio à Gratiano citantur in cap. quicunque 4.
20. quæst. 1. sed non repertiri in Concilio Triburi-
en, jam notarunt Antonius Augustinus &
Boëtius Epon. in præsenti. Credo tamen Decre-
tistis sententiam hujus textus, licet non per
eadem verba, de propulsione ex canone 27. ipsius
Conciliū Tribur, ubi ita Patres sanxerunt: *In syno-
do Chalcedonensis, c. 7 statutum est, ut clerici, quis emel-
in clero deputatus sit, neque ad militiam, neque ad
aliquam venientiam dignitatem mundanam. Et hoc ren-
tante, & penitentiam non agentes, quominus re-
deant ad hoc, quod propter Deum primis tuis elegere,
avahemizari: nos autem eandem sequentes cano-
niam autoritatem statuimus, ut clericis ecclesiastice
nutrius in Ecclesia coram populo, vel cantans, si
postmodum relitto clericans habitu à castris Domi-
nicis, quibus adscriptus est, profugus, & apostata
elabetur, & ad sacram regreditur, ab Episcopo ca-
nonice reveretur, ut ad finem matris Ecclesia re-
vertatur. Quod si in hac indiscipline perdurat,
ut comam nutrit, constringatur, ut iterum de-
tondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sa-
cram ordines attingat. Si verò huius hujus sancti
Conciliū reliquaverit distinctionē, secundum præsi-
tutum Chalcedonensis Concilii constitutionem ana-
matizetur. Sanctius Isidorus tales hippocentauris dicit
esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta
animalia, libertate, ac desiderio suo feruntur. Unde
hujus textus magna est difficultas, tum ob ejus
literæ corruptionem, tum ob sententiam, quæ
congruum sensum recipere non valet.*

2. (b) *Sime gradu.*] Sacro interpretantur Glossa,
& communiter Doctores hīc, quos sequuntur
Covat, in cap. 9, de testam. num. 4. Boëtius Epon.
in præsenti; ita, ut minoribus ordinibus initiari,
qui sine gradu sacro sunt, possint tonsuram di-
mittere, & uxorem ducere, juxta ea quæ dabi-
mus in cap. 1. de clericis conjung. constituti verò in
gradu sacro nequeant ad nuptias transire, quia
in gradu sacro sunt. Sed licet vera sit, & ca-

tholica hæc doctrina, vereor tamen ne aliena
sit à disciplina Ecclesiastica sœculi Concilii Tri-
bur. & à suprà relato, in illis verbis: *Legens, vel
cantans; ubi clericis in minoribus gradibus con-
stitutis jus connubii denegatur.* Facit etiam
quominus placet prædicta communis sententia,
quod olim clerici tantum lectors in gradu
dicebant esse, ut in legibus Aleman. tu. 16.
ibi: *Si autem clericus, qui in gradu, in Ecclesia
publicè lectionem recitat, vel graduale, vel alleluja
coram Episcopo in publico cantaverit, aliquam in-
juriam passus fuerit, sicut superius diximus, compo-
natur.* Et lib. 7. Capitul. cap. 309. ibi: *Clerici cu-
juslibet gradus, in quibuscunque locis ordinati sue-
rint ministri, ad eadē loca pertincent.* Unde ex-
istimo Patres in præsenti tantum agere de clericis
primæ tonsuræ, licet sine gradu, ut probavi
in cap. cūm contingat, de state & qualitate. & illi
tantum permittunt Patres uxorem ducentam reti-
nere, quia in gradu non erat; si autem in gradu
erit à parentibus Ecclesiæ, vel monasterio
oblatus, & in eo gradu cōpisset legere, aut can-
tare, tunc illi non licebat uxorem retinere, d.
can. 27. *Concil. Tribur.* non quia gradus ille Le-
ctoris, vel Cantoris impediret, aut irriteret
matrimonium à clericis in minoribus gradibus
constitutis contractum, sed propter oblationem
factam à parentibus Ecclesiæ, aut monasterio;
talis enim oblatio illis prioribus Ecclesiæ secu-
lis filios verè constituebat clericos, aut efficie-
bat monachos, ut latius dicemus in cap. cūm si-
mus, de regul. & ita nullo modo accipias tex-
tum hunc generaliter de omnibus clericis in mi-
noribus ordinibus constitutis, sed de clericis in
eis gradibus inservientibus virtute oblationis pa-
ternæ, qui uxorem ducere non poterant, ex d.
can. 27.

(c) *Monasterio.*] Juxta adducenda in dicto cap.
cūm finis sex cuius commentario, & textus in cap. I.
de clericis conjung. præsens petendum est.

(g) *Iterum tondeatur.*] Mirantur non immerito
multi, cur clericus conjugatus hīc jubeatur ite-
rum tonderi, cūm in cap. joannes, de clericis conjung.
cap. unic. eod. tit. in 6. conjugatis potius tonsuram
prohiberi videatur. Boëtius Epon. in præ-
senti textum hunc accipit eo casu, quo clericus
conjugatus beneficium retinet, & stipendiis Ecclesiæ suslentatur, ut in cap. unic. de clericis
conjung. in 6. cap. unic. de bigamis, eod. libro. Sed
temporum series interpretationem hanc non ad-
mittit; quare facilius textus hīc accipitur, si de præ-
dictis oblatis textum exponamus; Illi enim, cūm
virtute oblationis veri clerici constituerentur,
ideò, si de facto contraxerint matrimonium, de-
bent separari, & iterum tonderi, ut sic restituantur
pristino gradu.

CAPVT